

Sutphanensem, qui in Ditmarsia, quia recte docebat, crudeliter interfectus est. Nec alia fuit ulla causa necis eius. Fuit Tubingæ Iohannes Cræsus Theologiæ Doctor, uir modestissimus, & studiosus ueræ doctrinæ, qui postea in Tillingen adfectus est ultimo supplicio. Nec ullum crimen ei obijci potuit, quam quod Sacerdos in coniugio caste uiuere maluerat, quam in ecclibatu se uarie polluere. Et possem longum Catalogum recensere talium præstantium uirorum, qui innocentes tantum propter ueritatis confessionem interfecti sunt. Nec se uiciæ finis est in Italia, Gallia, Britannia, Belgico, & alibi. Hanc crudelitatem haud dubie sequentur nouæ poenæ & magnæ mutationes imperiorum.

Paulatim uero & Principes, & priuati homines locupletes, qui uoluerant doctrinam Euangelij conseruari & propagari, attribuerunt olim Ecclesijs redditus, qui initio in quatuor partes distributi fuerunt. Ex prima parte dabantur mercedes & alimenta ministris Euangelij, Pastoribus, eorū collegis, qui publice in templis docebant. Secunda pars erat docentium in Scholis & pauperum scholasticorum. Ex tertia parte consulebatur inopiæ egentium, qui propter morbos non poterant laboribus suis uictum quærere. Quarta pars conferebatur

batur